



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Ioscio Conf. 30. Novembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

30. Nov. VITÆ SANCTORUM. 751  
patiatur eum de cruce deponi. S. Bern.  
serm. 2. de S. Andr.

S. IOSCIO CONF.

30. Novembris.

UT nullo non tempore suam VIRGI-  
NI nectere corollam possis, Maria-  
ne, ecce tibi rosas in hieme etiam sugge-  
rimus. Cape sis, & hortum ex quo illæ  
veniunt, nobiscum mirare. Vixit an-  
no post partum virgineum M. C. LXIII.  
apud Audomarense IOSCIUS mona-  
chus, & MARIA unicus amator. Amo-  
ris alia argumenta taceo, unum prodo,  
quod prius cælum prodidit. Igitur, ut  
numquam animo dulce illud nomen  
MARIA excideret, quinque quotidie  
sibi dicendos Psalmos delegit, quibus  
initium optimi ominis litera ex eodem  
sacro sancto nomine dederunt, *Magnifi-  
cat. Ad Dominum cum tribulaver. Retri-  
bue seruo tuo. In convertendo. Ad te leva-  
vi.* Quoties igitur hos decurrebat, MA-  
RIAM oculi legebant, aures bibebant,  
lingua sonabat, cor suspirabat. Et vide sis  
quam hoc studium Maria probaverit.  
Moritur IOSCIUS in pervigilio S. An-  
dræ, & ecce geminæ & purpurâ tinctæ  
rosæ ex oculis, totidem ex auribus, ex  
ore denique una pullulat, singulæque  
literas suas, omnes MARIA nomen  
lo-

752 VITÆ SANCTORUM. 30. Nov.  
loquuntur. Et quaternæ quidem ad pri-  
mum tactum & ipsæ mortuæ cum corpo-  
re sunt tumulatae. At illa, quam ex ore  
prodiisse diximus, quamque decerptam  
Episcopus crystallo inclusit, vivit hodie  
etiam, credo ut germen esset, ex quo si-  
miles rosas daret Mariana posteritas. Ex  
Molano.

*Filium honoremus in matre, & matrem  
veneremur in filio; utriusque vota nostra fide-  
liter exolvamus: quatenus genitrice filium  
pro nobis interpellante, vincamus mundum,  
diabolum superemus, tentationibus renita-  
mur, consequamur gratiam, adipiscamur  
coronam. S. Laur. Justin. serm. de Nat.  
B. V.*

S. EDI-